

trahunt, quarum I. est περὶ τῷ ὅτι, An sit peccatum originis. II. περὶ τῷ τί, quid illud sit. His enim rectè perceptis ac cognitis, de reliquis etiam questionibus quasi subordinatis facilius erit disquisitio.

Quæstio. I.  
περὶ τῷ ὅτι.

9. Initiò autem haud injuria quaeritur, an sit aliquod vitiũ & peccatum originis: siquidem fuerunt & olim Pelagiani, & hodie horum furorem ab Orco reducentes, Anabaptistæ, Cingliani, & Sacramentarij, qui negativam sibi partim rectè, partim apertè fecerunt propriam, de quibus in altera hujus disputationis parte nobis erit διάσκεψις.

10. Quæsti autem hujus affirmativam nostræ Ecclesiæ in frequentissimis illis Comitijis Augustanis, Anno 1530. defenderunt ac etiamnum defendunt, cujus rei testis esse potest Christianæ concordie Formula, Art. I.

11. Scripturarum nimirum expressis testimonijs sententiæ suæ fundamentum superstruentes, quæ τὸ ὅτι peccati originalis uno ore dilucidè comprobant.

12. Classica ex Veteri quidem Testamento sunt isthæc: Gen. 6, 5. & 8, 22. Omnis cogitatio cordis humani ac omne ejus figmentum tantum primum ad malum ab adolescentia omni tempore: In quo utroque loco cum primis Emphaticum est Hebræum רָצוֹן, quod ipsam hominis Naturam & propen-